



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Bulla Pij V. & vsu Breuiarij Romani. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

vsum communem, propter multitudinem Festorum in eodem Breuiario cum diminutione serialis officij.

4 Restitutum dicitur decreto Concil. Trid. *sess. 25. in fine*, ut intelligas non esse nouum; editum autem à Pio V. & recognitum à Clemente VII I. & Urbano VIII. ea prorsus ratione, qua in Bullis corundem, de quibus nunc dicemus.

De Bulla Pij Quinti, & de ysu  
Breuiarij Romani.

Cap. II.

**D**ata fuit Bulla Pij V. *septimo Idus July 1568. Anno tertio in qua Pontifex multa facit.*

1 Primo significat causam edendi huius Breuiarij, nempe ad tollendam orandi varietatem.

2 Enarrat ea, quae in hac te prestitere Paulus, & Pius nomine Quarti, & quam ipse adhiberi operam curauit ex Decreto Concil. Trid.

3 Tollit, & abolet omnino Breuiarium à Cardinale S. Crucis compositum, quod erat breuissimum. Item alia Breuiaria Romana, & alia quae ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

4 Permittit tamen ut antiquiora non Romana ducentis annis possint mutari in hoc Breuiarium, ijs omissis si Episcopus, & yniuersum Capitulum consentiant.

5 Reuocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, priuilegia, licentias, & indulta precandi, & Psallendi more, & ritu predicatorum Breuiariorum suppressorum.

6 Praecipit obseruari hoc Breuiarium in toto Orbe cum exceptione 200. annorum de qua supra.

7 Stauit nihil in eo mutandum, addendum, detrahendum.

8 Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc vrantur Breuiario, alias non satisfaciant muneri suo.

9 Iubet omnibus Prelatis ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorū.

10 Tollit obligationem, quae erat sub mortali recitandi extra chorum Officium paruum Beatae Virginis, Defunctorum, Psalmos penitentiales, & Graduales iuxta Rubricas Breuiarii.

11 Hortatur, ut recitentur eadem propositis indulgentijs dierum centum recitantibus Officium paruum Beatae Virginis, & Defunctorum, quinquaginta recitatis Psalmos Penitentiales, & Graduales, quando Rubricæ ea prescribant.

12 Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, vbi est recitandi officium paruum B. V. in Choro immo eandem confirmat, & tandem tempus decernit obligationes ad ysum Breuiarij post eiusdem publicationem. Hec Pius V.

13 Ex quibus collige primo vbi aliquando, omisso proprio licto Breuiario, receptum est illud Pij. Quinti, non potest amplius omisum repeti. *Suar. tempo 2. de relig. lib. 4. cap. 11. num. 5.*

14 Habenti priuilegium vtendi antiquiore Breuiario 200. annos superante, non est licitum, priuatim vt Romano, relicto sua Religionis vel Ecclesiae proprio. *Bonac. disp. 1. quest. 3. punc. 1. num. 3.* & putat probabilius, vnde oppositum quoque sustineri potest & præsertim, si raro fiat. *num. 5.* & nisi præceptum alieni Breuiarij extet, vt Mediolani pro Breuiario Ambrosiano *num. 6.*

15 Qui Romæ degit potest vt Breuiario Romano. *idem ibidem num. 7.* Monachus tamen non potest vt Romano, quippe qui promisit obseruantiam sua regulæ, *ibidem ad Tertiam ex Sylu. V. Tora. quest. 1. dicto.*

16 Qui aliò concedit animo constituēdi sibi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte, tenetur vt Breuiario loci vbi moratur; secus minimè *Bonac. num. 8.*

17 Qui duo habet beneficia in locis, vbi diuersa Breuiaria sunt in ysu, debet in Choro vt Breuiario loci, vbi resideret; extra Chorum vero eo vt Breuiario loci, vbi dignius, non pinguis habet beneficium. quod si equalia sint dignitate, vt ad libitum vtroq; Breuiario. *Sylu. loc. cit.*

18 Qui



18 Qui in una Ecclesia habet beneficium, & altera Diœcesi habet domicilium, vbi Breuiarium est diuersum, teneatur adhibere Breuiarium domicilij Suar. num. 6. loco cit. contra quem alij putant prævalere Breuiarium beneficij cum ex eo surgat obligatio officij S. Tb. quodlib. 6. art. 8.

19 Non potest Episcopus cum aliquo dispensare, vt reliquo proprio Breuiario recitet officium iuxta formam alterius Breuiarij. Bonac. num. 19.

20 Potest Episcopus curare, vt Breuiarium Romanum recipiat, vt in Bulla dictum est, & vniuersum Capitulum consentire debet; id est, in unum locum coactum, & congregatum; non tamen omnium, & singulorum consensu est necessarius. Suar. cap. 11. num. 4. ad fin.

21 Nihil addi posse iussit Pius Breuiario, hoc est tanquam partem officij notabilis, si quid modicum addatur ex deuotio- nate, non peccatur contra Bullam Bonac. num. 21.

22 Edita verò hac Bulla Pij Quinti cessauit omnis antiqua facultas Episcoporum circa festorum officia, quam ha- bent ex sacris canonibus Archiepiscopi, & Episcopi, quos refert Quaranta in sum- mar. Bullarij Verbo, Archiepiscopus nu. 23. vbi idem docet, attendendam esse nunc Pij V. Bullam in qua prohibetur omnis additio, seu mutatio Breuiarij Ro- mani reformati, & postea recogniti à Clemente Octavo.

23 Cessauerunt etiam consuetudines quæcumque, & priuilegia Sedis Apo- stolicæ contra nouum Breuiarium, quod innipiimus supra num. 3. & 5. Vnde non potuerunt retinere officia recitata ante Pium V. sine licentia Sedis Apostolicæ quia retinere officia abrogata est idem ac addere Breuiario Pij V. seu mutare officium in Breuiario quotidie præscri- ptum.

24 Et hic est sensus eorum verborum Decreti 8. Aprilis 1628. renouati, locu- pletati, & nunc impressi in Breuiario: ni- mitum: Non potuisse, neque posse locorum Ordinarios addere Calendaris etiam-

proprijs, sanctorum officia, nisi ea dum- taxat, que Breuiary Romani Rubricis, vel sacra Rituum Congregationis, seu Se- dis Apostolica licentia conceduntur: hoc est, nou potuerunt addere post publica- tam Bullam Pij V. quod poterant ante illam.

25 Neque potuerunt ijdem Ordinarij neque possunt (quod habetur in eodem Decreto) eadem de causa mutare ritum in altiore, puta de simplici in semidi- plicem, vel duplificem, propria auctorita- te, licet causa videretur iusta. non enim sufficit causa legitima; sed est necessaria quoque Sedis Apostolicæ auctoritas vel Sacrae Congregationis Rituum licentia.

26 Et hinc sequitur, quod sine prædi- cta facultate non potest fieri officium, eo, quia deuotio populi adest, seu vo- tum.

Neque, quia Clerus consensit in Di- cefana Synodo.

Neque, quia voluntas testatorum le- gato proprio iussit officium de sancto, quod non est in Calendario.

Neque, quia titulus est Capella, seu Altaris.

Neque, quia ille Sanctus Archiepisco- pus loci, vel Titularis Ecclesiæ Matricis, respectu officij totius Cleri.

Neque, quia ille est ortus ibi, aut mar- tyrium ibi est passus; vel ibidem obierit Confessor.

Neque quia translatio est Reliquia- rum.

Neque quia vnti sūt redditus alicuius Ecclesiæ, vel vnta ipsa Ecclesia alteri.

Nec eo, quia titulus est præbenda Ca- nonicalis, aut Dignitatis.

Neque quia in aliquo loco celebrata est aliquando à Papa alicuius Sancti ca- nonizatio.

Nec eo, quia conformare se debent Ecclesiæ minores matricis, seu Cathedrali.

Neque quia festum populi est de præ- cepto, vel consuetudine, quod potest es- se sine officio, vt Romæ Festū S. Rocchi.

Neque, quia habetur in ciuitate, seu loco, Abbatialis; vel Regularis, vel Pa- rochialis Ecclesia.

Nc-



Neque quia pensionem quis habebat super aliquam Ecclesiam.

Neque quoad Regulares, quia viuunt sub Regula Sancti, à quo tamen non pendent in propria origine.

Neque eo, quia communicationem habet unus Ordo Priuilegiorum alterius Ordinis, quae communicatio non extendi debet ad officia, seu Festa Sanctorum; non ad omnia quod non sit; nec ad aliqua cum non sit minor ratio de uno Festo, seu officio, quam de alio celebrando. Et ratio predictorum est, qui in Rubricis Pij V. nulla fuit, neque est circa lex de his officijs; & licet iusta in aliquibus sit causa, petenda tamen est licentia omittendi officium tali die in Breuiario prescriptum, ut aliud de predictis recitetur.

27 Dices: in Rubricis habentur saepius hæc verba, ut tit. 1. num. 1. tit. 2. num. 1. *O alibi:* Festa sanctorum illorum, que consueverunt celebrari: ergo concedit Pius V. retineri adhuc consuetudines. Respondeo, quod sic se habet textus, celebrari consueverunt solemniter: vel, *solemniter*: tum quia alioquin Pius V. sibi esset contrarius, si in Rubricis concederet consuetudines, quas abrogauit in Bulla, non enim abrogauit consuetudines solemnies quas concedit in Rubricis. tum quia vere concessit retineri Festa sanctorum in locis propriis; non autem quæcumque Festa, sed soleniter celebrata.

28 Dices adhuc: in iisdem Rubricis tit. 7. num. 4. habentur præcisè sine adverbio hæc verba: *consuevit celebrari.* *O tit. 5. num. 1. consuetum celebrari:* ergo sufficit consuetudo simpliciter, non solemnis, sed facile respondeo, posteriores textus pendere à prioribus in eodem sensu accipiendi sunt ut priores, qui addunt adverbium: *solemniter*; ne pugnent in uicem ipsæmet Rubricæ priores, & posteriores.

29 Quid est, ais, *solemniter?* Respectu cleri saecularis, significat festivitatem, aut populi aut cleri cum pompa exteriōri, puta processione, apparatu, concursu, & huiusmodi. & ita declarauit sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1628.

respectu vero Regularium, & Congregationum significat singularēm quedam cultum communem alijs Festis de Calendario: quæ ratio cum non in omnibus Festis in Hispania celebratis adesset, recurrerunt ex Ecclesiæ ad Gregorium XIII. anno 1573. & obtinuerunt; posse retinere Festa ciuium, Reliquiarium insignium, & alia eiusmodi; quod, & tandem prestatere ferè omnes Ecclesiæ Italæ post Decretum præsumptum 8. Aprilis 1628. editum quibus Sacra Rituum Congreg. multa concessit rationabilia, & est parata alijs concedere similia.

30 Postremo restat dubium: An per Bullam Pij V. derogetur Bullis Canonizationum Sanctorum; in quibus videntur Pontifices dare facultatem recitandi officium de canonizato in die mortis eius solemniter ad formam in Rubricis Breuiarii Romani prescriptam?

Verum pater omnibus, quod de omnibus canonizatis non sit officium ab omnibus deinde ex Rubricis Breuiarij non appetat de unoquoque canonizato, an simplex, semidupl. duplex officium fieri debet, & est necessarium nouum decreto de ritu quo fieri debet officium, quod expressè decreuit Sacra Rituum Congregatio die 9. Decembris 1628. de hoc ipso casu interrogata. Vel dicerem, loqui Pontifices copulatiuè, (G) vna cum ædificio Ecclesiæ, de quo in Bulla, fieri posse officium solemnne tamquam de Titulari Ecclesiæ, quod habetur in Rubricis Breuiarij, hoc est prime classis cum Octaua.

De Bullis Clementis Octaui, & Urbani Octaui.

Cap. III.

E Dita fuit à Clemente VIII. Bulla die decima May 1601. Anno Undecimo, & in ea habentur pauca.

1 Accusat Typographorum incuriam, & aliorum audaciam, qui Breuiarium à Pio V. editum depravauerunt.

2 Significat, se ideo commissione peritis virtutis eiusdem Breuiarij recognitionem.

3 Pro-